



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XIII. Quia bellorum eventus secundos in sua manu habet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Quid faciemus Sorori nostræ in die quâ alloquenda est? Licet ut docet Hugo Carens, Quid faciemus Sorori nostræ? hoc quærit non dubitans, sed quidquid facturus sit exaggerans, quasi dicat, magna ei faciemus in die, quando alloquenda est à Gabriele. Bernardin. tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1. Tanta fuit perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda referretur, juxta illud Eccles. 1. *Ipse illam creavit in Spiritu S. vidit, honoravit, & mensus est.* Andr. Cret. orat. 1. de dormit. Virg. Dei tantum est laudare Mariam pro dignitate. Antequam nata esset, quale gaudium de ea habuerit Deus describit S. Brigitta in Ang. serm. cap. 2. Gaudebat Noe de Arca sua antequam fabricaretur, gaudebat Deus summè de te antequam te crearet. Anonym. citatus à S. Hieron. elect. lib. 4. n. 358. Meritò in hac Nativitate Virginis universus mundus lætatur, diemque festum agit. Lætatur primùm Deus, veluti solet artifex gaudere cum perfecit optimum opus suum, quod illi maximè placet. Christus apud Brigitt. 1. R. 46. Benedicte sis tu (Mater) quia ex tua pulchritudine gaudent Angeli. Quod autem Deus laudet eam meritò fit, nam neque Angeli comprehendere ejus dignitatem possunt. Bernardin. serm. 61. de B. Virg. cap. 12. Credo ad illam abyssum imperferabilem omnium charismatum Spiritus S. quæ in B. Virg. descenderunt in hora Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam poterit attingere. Quod declarans Angelus Gabriel cum ab eo quæreret B. Virgo, & diceret: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Respondens Angelus se tantum mysterium ignorare dicens: Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quasi diceret quid à me quæris ignoro, sed æternæ sapientiæ Doctor, qui tibi soli hoc altissimum mysterium reteravit, te per illuminatissimam experientiam edocebit.

Jam Canticum illud Divinum si legamus, quot ibi laudes Virginis Cant. 4. *Tota pulchra es Amica mea & macula non est in te.* Cantic. 7. *Caput tuum ut Carniolus & alia multa,* quæ omnia ad Virginem sentit referri Rupert. lib. 7. de gloria Trinitatis, & Andr. Cret. serm. de dormit. Deip., S. Epbr. serm. de laud. Virg. Certè juxta S. Cyprianum serm. de Nativ. Christi & à Deo Spiritus S. servabat Sacrarium suum, hoc est Deiparam, & sanctimoniam Thalamum honorabat.

### 3. Quia bellorum eventus secundos in sua manu habet.

Rem hanc potius historijs quàm testimoniorum autoritate probabimus idque pauculas è plurimis seligemus. Genebrardus ad annum 884. rem ejusmodi refert: Rollo Normannorum Dux gravis erat Gancellino quadragésimo septimo Carno-

Carnotensium Episcopo, eumque deduxerat ad extrema. Quò se verteret Episcopus planè non reperit: induit itaque Camissam S. Virginis interiorem, & in hostes animosè progreditur, eosque non solum repulit, sed & profligavit. Andronicus senior (*uti Gregor. refert*) adeò subitanè Andronici nepotis armis circumfusus, ut intempèstâ nocte Constantinopoli captâ, rectâ in palatium perrexerit, nepos avam obruncaturus, quid refugij superest? provoluit se ante imaginem quæ nunc Cestochoviz in Polonia, nepos irruit, sed cœlesti freno detinetur, nè quid nocere possit. *Rupert. Holcat. in sap. lect. 35. refert Regem Britanniz Artum, sive Arturum Brittonem dum bellaret, secum circumtulisse imaginem B. Virginis in interiore parte clypei depictam, quam quoties in periculis belli prospiciebat, toties auxilium experiebat. Boufin: vero de rebus Ung. lib. 10. dec. 20. Stephanus Ungarorum Rex ante conflictum sic oravit: Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hereditatis ab inimicis devastari, & novellam Christianismi plantam dissipari, nè quæso sinas illud imputari diffidentiz meæ, sed potiùs dispositioni voluntatis tuæ: si quid commisit culpa Pastoris, ipse luat, oves quæso infontes nè pœnariis affligi, sic oravit, & Virgo victoriam largita. Obsessum fuit Tornacum ab hostibus anno 1340. *uti annales ejus Ecclesie habent*, desperata res erat: ergò Clerus claves civitatis Virgini Divæ defert, illius se tutelæ subjicit pientissimè. Rata vota Diva habet. Hostes tantus timor nocte insequenti invast, ut dimissis spolijs dilaberentur, insuper pestilenti quodam, & ardenti igne corripiebantur, sed & hic Virgo fuit saluti, nam qui eorum deducti ad Divæ ædem, sanitatem recuperarunt. Unde *Cosmas Jerosolymit. Insuperabilem Deipara spem tuam habens servabor, defensionem tuam possidens non timebo: persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens ut thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum. Richard. lib. 2. de laud. Virg. part. 1. Potens est Maria ad protegendum, undè ipsi potest dicere securè servus ejus, quod Job. 17. Pone me juxta te, & cujus vis manus pugnet contra me. Scripsit etiam Arentinus lib. 5. Annalium Boicorum, quòd Henricus Regulus Bojorum bis de Ugris ope Virginis retulit victoriam, ideo ut Nicetas in Alex. Dei Genitricis imaginem olim Imperatores Romanorum belli sociam sibi ascilcebant. Et ut idem lib. 1. Isaac Imper. ejus imaginem pro vallo transtulit. Pugnante Josue non solum stetit sol, sed & luna. Arcam deferebant in bellis Hraelitæ, quid illa arca, nisi Virginis figura, undè ab Aug. serm. de Nativ. Virg. Maria dicitur Virtus pugnantium, Palma victoriam. De illa dixit Sponsus Cant. 1. Equitatus meus in curribus Pharaonis assimilavi te Amica mea. Rupert. ad hunc locum. Per equitatum intelligendam virgam Moysis, per quam Deus Pharaonem de bellabat. Cantic. 6.**

*Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. 4. *Sicut Turris David collum tuum, quae edificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, Regis Achaz timenti excidium à Syris promisit Deus per Isaiam securitatem, & in signum ejus rei dixit: Propter hoc dabit Dominus vobis ipse signum, ecce Virgo concipiet & pariet Filium. Ipsa enim primam quae in mundo descripta à Moysè victoriam obtinuit in Gen. Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum.* Prémislaus Daniæ Rex juxta Beoviam, dum clypeam imagine Virginis invehetur in hostes, semper superabat. Episcopus Bethleemiticus lac Virginis in prælium produxit victorioso exitu, uti in *suppl. Sigeb. Gartii* Rex Navarræ semper ad prælia secum auream Virginis statuam felici eventu deferebat, ut *Jo. de Amida.* Ludovicus pius Caroli Magni Filius nec ad venationem sine imagine prodibat, ut sic ab hostibus tutus esset. *Crantziius lib. 1. cap. 10.* Carolus quintus imaginem in thorace bellico Virginis habebat insculptam, ut est videre Madriti ubi aservatur. Illud etiam prælium patrocinio Virginis confectum ab Alphonso II. Rege Hispaniarum ad Tarissam urbem impositam freto Gaditani, de quo *Spondan. in contin. ad annum 1340.* in hunc sensum habet: Maurus Rex Abbohacenus seu Abenamarim 70. millia equitum, peditum 400. millia eduxit: contra eum Alphonso 14. millia equitum, & 25. peditum sic movit, ut 200. millia Maurorum cæciderit, & innumeros captivos & filium Abhoamarum, & Fatimam præcipuam uxorem Regis abduxerit solum viginti viris è suis desideratis: Commendaverat autem ferventer Divæ successum prælij ad aquas Lupinas, ubi paulo antè ejus imaginem donis ornaverat. Illud etiam refert *Bernardin. Forresius lib. 7. hist. de rebus gestis Jacobi expug.* Guilielmus Avunculus dicti Regis anno 1335. processit obviam Mauris ad Valentiam, ubi steterunt acies in conspectu, in clamatum nomen Maria ab Hispanis, statim Mauri terrore perculli fugere coeperunt, & innumeri cæsi: sed plura quàm decem millia ejusmodi cadaverum reperta, in quibus nullum vulnus apparuit: sic Virgo pro suis cultoribus pugnavit. Dicitur autem S. Georgius M. missus à B. Virgine utrique aciei apparuisse, huic ad animos, illi ad terrorem faciendum. Trigentes hic Princeps pugnavit, & semper vicit, & pro una quaque victoria sexaginta sex Virgini templa erexit. *Adrianus Papa in diplom. Eccles. Cesar-Augustanæ refert,* dum hæc urbs à Mauris tenetur, & recuperare eam tentarent Christiani, apparuit B. Virgo Christianis, cujus visionis favore & auxilio præfati fideles adversus infideles eosdem victoriam consecuti fuerunt. Sæpius etiam contra Mauros pugnavit Ganzalus Strunica Episcopus Genensis semper victor, quia semper in vexillis imaginem Virginis circumtulit. *Ximen Pat. lib. 1. c. 19.*

Virgo

Virginis etiam adscribunt victoriam ab hostibus Hispani obtentam ad Valencenas, ad Geldriam, Bredam, Calloam, Sonfonam, Bommeliam, Dulingvam: sed illa nominatio cæteris, quam memorat Spondanus ad annum 589. à Revaredo Rege Gotthorum obtentam, vix à trecentis viris, 60. millia fortissimorum in fugam versa, & maxima eorum pars gladio trucidata: hæc adscribitur imagini missæ B. Virginis Hispanis à S. Greg. Magno. Arturus Britannorum Rex anno 520. teste *Westminster*. invocato Virginis auxilio, solus in Saxones cum gladio irruit, & ex illis 840. viros occidit, hoc contigit in obsidione Badonis facta à Saxonibus. Narrat anno 1551. *Fornerus lib. 5. Palma triumph. cap. 31.* Cum Zuing'iani in Helvetia Duce iplo Zuinglio pugnarent, visa à plerisque imago Virginis splendida, & albicanti nube convestita, Catholicos præcedere, & missilia, atque jacula quæcunque ab hostibus intorquebantur retorquere: & certè ingens edita Zuinglianorum strages, & ipsemet Zuinglius occubuit. Et illa victoria quam *Balinghem* describit de hostium 150. millibus ab Angliæ Rege Henrico V. quinque partibus minore exercitu reportata, Divæ Virginis adscribitur. Robertus Pius Gallia: Rex ut *Florentensis in ejus vita*, dum obsedisset Avalonem Burgundiæ Civitatem, & cum Clericis laudes Dei Deiparæq; cantaret, muri urbis spontè ceciderunt.

De Carolo Magno illo victorioso, & Filio ejus Ludovico Pio narratur, quod nunquam ad conflictum processit sine imagine D. Virginis. Ubi refert *Copenstein de Rosaris lib. 2. cap. 8.* Ipse Deus facturus de victoria Gedeonem certiozem *Jud. 6.* in Vellere dedit signum, quod erat mysterium Virginis, juxta *Ambrosium serm. 13. de Nativit.* Pharao hostis populi Dei mergitur in mari: & Deipara est hostibus Mare amarum. *Elisæus 4. Reg. 13.* victoriam divinatorum Regi Israel, jubet, ut per Fenestram sagittas jaciatur, quæ Virginem notat. *August. 15. de temp.* Undè merito cum *S. German. Patriarch. 30. Jan.* idoneas canticis tubas inilemus, quippè de celo prospiciens universorum Regina, suarum laudum declamatores benedictionibus coronat. Concurrant cum Regibus Principes, atque huic Regiæ applaudant in hymnis, ut quæ talem peperit Regem, qui dominatu mortis oppressos perbenevolâ humanitate suâ libertati restituit.

#### 24. Quia peccatores extrahere è peccatis potest.

*S. Catharina Senensi ut in ejus vita scribitur aliquando hæc Deus Pater revelavit.* Matri unigeniti Filij mei Mariæ Virginis datum est à bonitate mea, ut propter incarnati Verbi reverentiam, quicumq; etiam peccator ad eam debita cum veneratione

tione